



6

Victoria
PVSILLI CHRISTIA-
NORVM EXERCITVS,

Contra
LEGIONEM TVRCICAM
Obtenta ad oppidum Sixo in Vngariá,
Anno Christi M. D. LXXXVIII.
DIE VIII. OCTOBRI:

Authore DEO summo exercituum Principe:
CAESARE RODVLPHO II.



Recensente verò
Salom. Frenzelio Vratisl. P. L. Cæs.

*Rev: O Doctiss: Viro, D. Tobiao Christiano, am-
mum Pastori in oppidulo Zaudiez fidelissimo
Parens Authoris Opus vobis amicitiae ergo deti.
Aº. 89. Idubus Feb: M. Salomon Frenzelio*

*Erasm. de Conscrib. Epit. fol. 84.
Dicos ac deos appellare reges, Felici cuiusdam gnationis est.*

VICTORI
DIVO
RODVLPHO
SECVNDO,

MAXIMIL. II. IMP. FIL.
CAESARI ROMANO.

PANNONICO BOEMICO REGI, &c.

PIO, FELICI, IVSTO, PRVDENTI, BENEFICO,
SEMPER AVGVSTO,
SERENISS. DOMVS AVST.

SPEI, COLUMNAE, ORNAMENTO,
PATRIAE PATRI,
MV SARVM PRÆSIDIO,
ETC.

PERPETVAE OBSERVANTIAE ERGO HAS TENVES
PANEGYRICORVM SVORVM PRIMITIAS
PRÆMISIT, DICAVIT, CONSECRAVIT

S. F.



223694 II

Sacratissime Imperator Ro- dulphe, Domine clementissime:



PRINCIPI VIRO OPVS LITERARIVM
dedicare, hac præsertim scribentium tempestate, la-
boriosum est, & difficile. at cum amplissimo Cæsa-
ris Romani Nomine non Codicem quendam, sed
vix paucarum pagellarum Opusculum typis evulga-
re, adeoque in augustissimum Reipub. Christianæ
theatrum emittere; ea demum res est summæ cir-
cumspeditionis. & Iudicii. In muneribus enim decernendis non tam
quid detur, quàm quis accipiat, animadvertendum est. Itaq; diu
multumq; deliberavi, Cæsar, rectene facerem, nec ne, si serenissimo
nomini tuo breve istud Carmen triumphale inscriberem. Sed ad hoc
ipsum institutum non me pellexerunt tantum, sed confirmarunt mul-
ta. Etenim in mentem veniebat, non esse nullos emunctæ naris ho-
mines, qui ridiculè fieri contendant, quoties Victoria, nuper in re-
gno tuo, contra fœdifragum crudelissimumq; hostem, divinitus ob-
tenta, laudum ornamentis ampliatur: quasi verò (inquiens) non
decies nostri pro hac unâ strage antehac succubuerint. Ab horum
protervitate ut Poëma hoc Panegyricum vindicaretur, tuâ auctori-
tate omnium maximâ, tanquam septemplici clypeo nitendum existi-
mavi. Dicant enim mihi Censores isti nasutuli, quas magnas clades
in Vngariâ nostri hætenus perpeffi sint, dum tu geris imperium? Ego
contra luce meridianâ clariùs ostendam, Turcas nunquam infeliciùs
bella gessisse, quàm te Cæsare, id quod illi, nolint velint, ipsi fatentur.
Et obsecro, an non pugna hæc est memorabilis, æternâq; laude dignis-
sima, in quâ duo nostrorû, decem semper profligarunt hostes? Sed et alię
sunt causæ, cur sublimem tuam Majestatem hoc humili Munusculo
potiùs onerare, quàm honorare, audeam. Laurea namq; Caroli V.
felicissimæ memoriæ Imperatoris auctoritate, tum tua etiam, Cæsar,
coronatus anno 84. inter cætera sancto Iuramento policebar, nihil
me prætermisurum unquam, quod ad laudem & gloriam Rom. Im-
peratorum dilatandam facere videatur. Cuius Rei exemplum quod-
nam hoc tempore potuisssem dare accommodatius? Etsi vero non ita

amplum, ut par erat, dicendi campum ingressus sum: tamen angusta
sæpe Orbita iter facientem ad ingentia Viarum spacia perducit: & tu-
tius est, à parvis ad magna, quàm à magnis ad parva progredi. Taceo
alias Audaciæ meæ caussas. Neq; commemorabo, quòd res bellicæ
omnium sapientū iudicio, numerosius carmine decantentur, quàm
solutà oratione prædicentur: quanquam & illa magnam in hoc gene-
rē vim habeat.

Ego quidem Historiam, ut gesta est, protenuitate
meà, qua potui fide & diligentia contexui, nec quicquam inserui,
quòd non ex ore & præformatione didicerim hominis fide digni, &
strennui nobilissimiq; militis, qui rem omnem ordine mihi percen-
suit, qui ipsi aciei interfuit, qui vnum Turcicorum Ducum hastà suà
transfixit, qui deniq; (ut Virgilii verbis utar) horum omnium pars
magna fuit. Quas verò laudes Calamus instar alvei in rerum seriem
abripuit, eas tibi deberi, nemo est vir bonus, qui non fateatur. Adula-
toriæ dixi nihil. *ὅ γὰρ δὲ δύνασται μοι καὶ ποιῆτην χρῆσθαι, καὶ κόλακι,* ut habet Ada-
gium Phocionis ad Antipatrum, uno verbulo mutato, hoc est: non
potes me simul & Poëta uti, & Adulatore. Aures enim Cæsariæ ve-
neno neutiquam inficiendæ sunt. Et *κόλακις εἰς κόρακα*, non ad Impe-
ratorem Romanum pertinent. Quæ cum ita se habeant, potentissi-
me Cæsar, humillimè abs te peto, vt hoc munusculum Strenæ loco
à me clementissimè habeas, ac boni consulas, dum incèptam laudum
tuarum telam absolvam, si quidem, quod infinitum est, absolvi po-
test.

*Hic dno
nihil fa-
cit.* Tuæ enim sacræ Majestati debeo, quicquid est in me Ingenii,
quicquid virium, quicquid sanguinis & vitæ. Tuus ego sim Poeta,
qui per te tuosq; sum, quicquid sum. Tu saltē tenerrimā Musam me-
am, cui in D E I, tuisq; laudibus consensescere certum deliberatumq;
est, clementissimo Patrocinio prosequaris. Tu idem sis mihi, optime
prudentissimeq; Cæsar, qui es omnib. literatis, alter Augustus. Quod
reliquum est, annum LXXXIX. Tibi, toti; Serenissimæ familiæ Austri-
acæ felicem & gloriosum opto, ac toto pectore precor. Faxit sapien-
tissimus Deus, qui transfert, & stabilit regna, ut tot tantisq; Victoriis
hostibus tuis terrori fias, quot quantisq; commentorandis ego prius
defatiger, quàm tu consequendis satis illustreris. Vale ô & Præsidium
& Dulce decus meum. Pragæ in ædibus D. Baronis Guilielmi ab Op-
persdorf, &c. Mecœnatis mei, Die S. Nicolai Episcopi, Anno nostræ
salutis. M. D. LXXXVIII.

Majest. Tuæ Cæs.

humillimus Servulus

S. Frenzelius.

VICTORIA MEMO-
RABILIS A DEO CHRISTIANIS
PARTA, CONTRA TVRCAM
humani sanguinis Helluonem.

A D
DIVVM RODVLPHV M SE-
CVNDVM, CAESAREM ROMANVM,
Victorem &c.

A Ccipe Cæsario fate Cæsar sanguine Lauri
Insignem baccis, & odoro fronde coronam.
Non quæ sim, nescire potes. nam nota, Rodulphe,
Quomodo non essem, primævis cujus ab annis
Semper inexpleto tua mens flagravît amore,
Nec dum etiam solum quam tu subvectus in altum
Definis ardere, ô Cæsar: sed protinus ornas,
Austriacaq; foves humilem pietate Puellam?
Ne verò mirare, tibi gestamen honoris
Me conferre, sacri quo verticis antè coruscat
Majestas: nec enim mihi non est cognita dudum
Laurea, quam Proavi tibi relliquere Nepoti.
Nec sum incerta animi, quibus his currentib. annis
Aucta sit illa novis ornataq; frondibus: an non
Serta tamen consueta duos sunt inter amantes

A iij

Pignora

Pignora Amicitiae? Te vitā calibe fatum
Huc finit usq; frui: nec ego sum nupta puella.
Tu me, Cæsar, amas, ego sum tua cura, tuum cor:
Te redamo, dulciq; tui rursum vror amore:
At mihi nil aliud, quod dem tibi, suppetit, unum
Præter id, optatum quo Virgo suevit Amicum
Exhilarare decens, nempe inviolabile fertum.

Accipe, Rex, igitur signū hoc & pignus amoris,
Accipe perpetuò viridantem fronde coronam
Grata quidem satis illa foret, si forsitā esset
His manibus contexta meis: sed muneris hujus
Authorem simul ac nostro cognoveris ore,
Grata erit illa magis. nec enim vel magnus Apollo
Intulit huic dextræ, vel nostrarum una Sororum,
Vel quisquā humani generis, mihi crede: quis ergo?
Ipse Deus, Deus ipse dedit, jussitq; beato
Dive tuo capiti jam nunc imponere Cæsar,
Ac tales porrò reclusit pectore voces:
Nomen ab officio geris ô mea Filia, CLIO
Dicta, quòd illustri deceat te carmine laudes
Non tantum memorare meas: sed & insuper orbi
Res hominum clarè gestas, ac fortia facta
Evulgare sonis, & digna referre labori

Præmia,

Præmia, virtuti suaq; ornamenta locare?

Vade igitur, Lauroq; mei præcinge Rodulphi
Tempora: quã tribuo, Laurus nova: signa capeſſat
Hinc nova læticiæ. quòd ſi perquirere cauſſam
Muneris inſtituet: (nam longo novit ab uſu,
Serta Ducum belli, qui victo ex hoſte tropæa
Cepiſſent quondam, ſubnexa fuiſſe capillis
Laurea conſpicuis, veluti quoq; Vatibus almis,
Victuro canerent qui carmine læta triumph
Arma, viroſq; graves) tum quæ tibi cunq; loquutus
Nunc fuero, repetes **CLIO**, remq; ordine pandes.

Aures ergo mihi patientes porrige Cæſar;
Facta recenſebo, quæ nulla oblivio carpet:
Dicã Evangelium, Superũm applaudente catervã,
Quod Deus, in terris cujus tu ſceptra, vicemq;
Diue Rodulphe geris placidè, mihi credidit ipſe.

Qualis erat quondam prognatus ſtirpe Scytharũ
Chriſtieolum in gentem Rex Attyla, ſævior ipſa
Sævitiã, ut dictus communi Voce Flagellum
Sit crudele **DEI**: Mahometem tale fuiſſe
Portentum, Natura, tuum, qui mille manipulis
Latronum Eoas primũ ſtipatus in oras
Perſidis irrupit, ſedes & rura relinquens

Natalis

Natalis truculenta soli, qui deniq; fines
Transgressus Ponti, Græcorum nobile Regnum
Evertit penitus, mox Europæa petivit
Limina successu Prædo impetuosior ipso:
Tale sit hujus adhuc quòd sanguinolenta flagellum
Propago, hei nimiùm docet & probat exitus ingens.
Nam quibus impavidos non Pannonis illa colonos
Cladibus adfecit tot jam labentibus annis?
Oppida, rura, domos sceleratis excidit armis,
Vertit & in cineres, campisq; gementibus agros
Cæde coloravit, & pingua sanguine prata
Reddidit innocuo: multos abduxit, & acris
Servitii sub triste jugum, partesq; subegit.
Atq; ut barbaricas rabiosa licentia vires
Amplius exfereret: si marte liceret aperto
Non semper: tamen occultâ vim fraude pararet,
Romano foedus cum Cæsare pacis inivit.
Hujus & ecce dedit nuper, majusq; dedisset
Perfidia specimen, nisi nostra potentia ceptum
Impediisset opus lacrimis excita piorum.
Vox erat ista DEI: rem gestam, adverte, docebo.

Vrbs jacet ad ripam munita binominis Istri
BVDA, loci Caput illius; tenuere coloni

Quondam

Quondā Hūni: sed nūc premitur Mahometis atroci
Imperio: cæde ante alios immanior hujus
Præses, quem Bassam dicunt, longè antè sub imo
Corde volutarat molimina mille laborum,
Mille doli, tandem quibus (ut spes alta manebat)
Pannoniæ reliquam sua sub juga cogeret oram,
Omniaq, hostili circum sinuosa Tibisci
Littora (Iazygibus Dacos is dividit amnis
Depopularetur vi, flammâ, cæde, rapinis.

Ergo Temesvario cum Præsîde convocat ille
Vicînâ armatas subitò regione cohortes,
Quas ducet Custos Albæ regalis in hostis
Viscera CARA ALI: mora nec datur ulla furori.
Iam pallens medium Sol cœli exegerat orbem
Lumine Nonarum quarto, quùm exercitus omnis
Christe tui sitiens, Rex Turcis sprete, cruoris
Fileco egreditur, citò quâ confluxerat arce.
Atq; equidem primùm, quâ proxima meta viarum,
Sistit iter, quanquam pes apparat ire, Ducemq;
Nocte Temesvarium necquicquâ exspectat ad arma
Tardiùs accinctum, paulumq, incepta morantem.
At velut, ex longo collecta instigat edendi
Quùm rabies, fremit ore lupo, furit improbus irâ,
B Nec tole-

Nec tolerare moram potis est, sed ovilia rumpit
Obvia, & imbelles stupidis cum matribus agnos
Diripit: haud aliter sub duris ossibus iræ
Albano ignescunt Beco, sua castra tuenti
Collectasq; manus, nec jam magis ille parantem
Arma Temesvarium expectat, sed totus anhelans
Ad prædam, cædisq; avidus, producit in agros
Aeratas acies, animisq; audacibus implet,
Et Nonas ante Octobreis turgentia vento
Castra locat juxta Putnocum: hanc callidus arcem
Expugnare minis tentat, non robore belli.
Sæpe etenim terrore urbes capiuntur inani,
Hostis ubi densis sese ignoratus in armis
Ostentat subitò, & clangoribus aëra pulsat.

Interea veluti Volucris secat æthera pernix
Remigio alarum, variasq; perambulat auras
Hinc atq; hinc: pennata volat sic fama per oras
Undiq; finitimas, adventantesq; Phalanges
Nunciat, & sævis acuit rumoribus iras.
Putnocum tumidis frustra terroribus actum
Deferit Albanus, parvæq; ad limina Sixi
Eidibus Octobris, magna stipante Catervâ,
Agglomerat gressum: rapidos ubi suscitât ignes,
Incendit

Incendit Fanum nitidis sublime columnis,
Et tormentorum vi quassat, fulminat, urget.
Tum furit immisis templo Vulcanus habenis,
Perq; omnes rimas summa ad fastigia vento
Volvitur: it cœlo nimbus, furit æstus in auras.
Irrumpit tandem magnis clamoribus hostis,
Quosq; fuga in turrim dare terga coëgerat altam,
Sternit cæde viros, sed non sine morte suorum.

Extemplò arreptis Miles Germanicus armis,
Pannonicusq; tenens sua Propugnacula bello
Tuta, manuq; merens stipendia martia forti,
Sendroviam nil cunctatus concursat in arcem,
E facto quid opus, quæ fors tentanda laborum?
Consult in medium, ac vario rem pectore versat.
Nimirum geritur res demum Marte secundo,
Consiliis quando mora nulla relinquitur æquis,
Hoste petente latus patriæ pugnacibus armis.
Tum pietas habet alma locum, tum docta gerendis
Sobrietas rebus Comes, & Vigilantia, & ardor,
Non gula, non demens luxus, non alea præceps,
Non picturati fallax lascivia belli,
Non os dira loquens ipsis convicia Divis,
Non animi fastus, non mens secura pericli.

Hic in diversas agitant suffragia partes:
Sunt quos præteritæ madido à certamine clades
Absterrent: piscator enim fit cautior ictus.
Exiguus quosdam numerus, visq; arcta suorum
Incertos animi reddit, contraq; timorem
Incutit ad pugnam Manus instructissima Turcæ:
Sæpe velut Lepori velox & odora canum vis
Multorum fit causa necis: bis mille virorum
Partibus à nostris vix inveniuntur: at agmen
Stans hostile decem capitum effert millia coelo.
Verùm aliis animum Bonitas certissima causæ
Suscitat: occurrit divini Numinis ingens
Robur, & in dubiis præsentia cognita rebus.
Sunt, quorum ultrices justasq; exaggerat iras
Tot jactura Virum, mortem quæis contigit arvis
Oppetere Vngaricis Patriæ pro jure, salute,
Libertate, bonis; sed & horrida mente recurrant
Castrorum excidia, & cineres: ipse efferus ignis,
Funditus evertens miserandæ moenia Sixi,
Et spissa jam nocte premens cava nubila coeli,
Flammam animis infert, & dat fomenta dolori.
Hinc etiam hostilis nimium fiducia nitens
Viribus, ac numero, spem nostris arrigit altam,

Et jubet

Et jubet angustis melius confidere rebus.
Nunquam quippe magis dubia est victoria pugnae,
Despicit imbellem quam quando potētiōr hostem,
Et graue contemptus de contemnente reposcit
Supplicium plerumq; DEO reprimente tumorem.
Spem verò hanc demum nostrorū in pectore firmat
Perfidia hostilis, quoniam petulantibus oris
Aufonio pacis foedus cum Cæsare pactum
Fregisset spretā legum pietate sacrarum.
Namq; scelus nullum poenā graviore coërcet
Omnipotens Vindex, quā rupti foederis ausus,
Et deludentis Superos Perjuria Linguae.
Deniq; mentem animat bellandi vivida virtus,
Experti quam sæpe forent præsentiūs hostes.

Ergo ubi consiliis rem disposuere secundis
VNA NIMES Socii, celsā spem fronte serenant,
Committuntq; Duci votis sua fata supremo,
Cujus ab augusto deductum nomine nomen
Vexillis gestant, & apertā voce fatentur,
Atq; ita fidentes animis in praelia tendunt.
His duo se Comites laudum addunt, atq; pericli,
Rectores Iuvenum egregii, rerumq; Magistri,
Hommonius bellax, validisq; Ragozius armis.

B iij Conspicuis,

Conspicuus, turmis stipatus uterq; coruscis.
Tum sic alloquitur fulgentes ære catervas
Posterior: quo summa loco Res, cernitis omnes:
Perfidus hostis adest, & ferro sævit & igni,
Tollite cœlo oculos: nostros petit ille penates,
Visceraq; afflictæ Patriæ: nunc tempus agi res,
Nunc opus est animis: nec enim pudor iraq; tantū
Nunc conferre manū monstrant: discrimina cogūt
Extrema: ô socii nullam sperare salutem
Nunc erit una salus: si fati postulat ordo
Abditus, ut luce hac, atq; his moriamur in armis,
Lucrari præstat multorum funere mortem,
Quam nostra abruptis in gloria concidat armis
Dextra: penes Superos omnis Victoria, nulla est
Viribus in nostris: numero supereminet hostis,
Nos animis: illi spes fixa in robore, nobis
In Duce, quo toto non orbe potentior alter,
Qui supra nos est: aciem hoc præeunte struemus,
Inq; reluctantem validè accelerabimus hostem.
Vos saltem, ô focii, durate, intendite vires,
Audete, urgete, orate, & fidite Christo
Ductori vestro: vos ille tuebitur omnes,
Ille **hac nocte** suum nulli superabile robur

Exseret:

Exferet: hacq; ego spe vobiscum, ut fidus Achates,
Hoc Caput, hos artus in aperta pericula mittam,
Nec me de vestris cervicibus auferet ullus,
Dum qua meis fuerit vitalis in ossibus aura.

Vos capite exemplum, vos gloria funeris experts
Incitet: ah pulcrum vitam pro laude pacisci!
Pulcrum est, pro patriâ victrici occumbere morti!
Turpe in desidiâ juveniles perdere nervos!

Hæc effatus equum torquet, perq; æthera tollens
Ardentes oculorum orbes, pauca insuper addit:
Christe DEI Soboles nostro succurre labori.
Talibus accensi comites firmanantur, & altis
Vocibus acclamant: mens omnibus una sequendi.

Nec longum in medio tempus: se dividit agmẽ
Continuò in geminas, lecto prius ordine, partes.
Cathaius primas capit, atq; Balasius acer,
Fortis & Hómonius, Barezajus & impiger heros.
Tercentum hos stipant equites: Serienius unã
Densus Equis graditur: succedit in ordine Teuto
Nobilis, Albertus florens Reibnizius annis,
Puniceis circum quem quinquaginta feruntur
Velati lanis Iuvenes: nec Didius audax
Dux Equitum totidem, quorum dependet ad imos

Lana

Lænapedes perfusa croco, se tardiùs infert.
Sed nec equos fortes agitat gravis armaturæ
Segniùs atra cohors, cui quinquaginta supersunt
Centeniq; ex Marte viri, quos vestibis albis
Ter deniq; duoq; alii comitantur in hostem.
At quingentorum peditum Covachius agmen
Pannonicum Ianus ductat stridentibus hastis.
Præterea Heroes alii, haud virtutis egentes,
Quos longum numerare foret, vestigia pugnae
Ad loca nota ferunt, sociosq; hortatibus implent.

Hanc Equitum frontē peditumq; Ragozius equis
Passibus insequitur: verū intervalla relinquens
Certa, laborantes ut primo in limine belli
Subsidio relevet, contraq; audentior hostem
Miles eat, mox strage novā latus omne fatiget.
Illum sexcenti dextrā levāq; sequuntur
Sublimes in equis Hunni. Scharlichius autem
It lateri Comes impavidus, felixq; Magister
Triginta & binorum Equitū, quēis docta per hostes
Spargere dextra globos ardentis pondere plumbi.

Iamq; omnis latè campos exercitus implet,
Et primas inter volitant vexilla cohortes
Octo, Crucis rutilæ sancto radiantia signo,

Sex

Sex alia extremo super ordine ventilat aër.

Id simul ac oculis longè prospectat acutis
Albanus Turcis primus Dux additus atris,
Exiguum ridet numerum, atq; exæstuat irâ:
Vt Leo, stare procul speculâ quum vidit ab altâ
Cornibus in campo meditantem prælia Taurum:
Haud alia Albani est hostes spectantis Imago.
Ille fremit belli cupidus, cunctisq; repente
Improvissus ait Sociis: ingentia vosne
Agmina prospicitis, tumidis qui passibus istinc
Ad nos contendunt? hodie & victoria nobis
Se neget? & nobis hodie patiamur inuri
Illam ignominiam, quam nulla oblitteret ætas?
Quin animo infracto, & præsentis pectore fortes
Vos estote viri, & pugnam sperate parati:
Debellandi inopes, majoraq; viribus ausi:
Præcipitate moram, mucrones figite, strictos
Huc illuc agitate enses, explodite scloppos,
Omnes coniunctâ vi cædite, cedite nulli.
Mox aderit tempus, Christi quum protinus istos
Admiratores, campi tellure jacentes
Diversa, atq; animas multo cum sanguine victas
Passim eructantes plaudente tuebimur ore.

C

Tunc

Tunc aspirabit cepto fortuna labori,
Ut terrore magis, quàm confringentibus armis
Oppida vincamus nostris reliqua obvia dextris,
Sitq; ex hoc aliquis coetu, festina repente
Constantinopolim vestigia lætus ad urbem
Qui ferat, atq; avidas lætis rumoribus aures
Impleat Induperatoris, dignamq; capeffat
Mercedem. sic fatus equi calcaribus armos
Spumantis fodit, & numerosum circuit agmen,
Et quo quisq; animo, quo quisq; sit ordine, cernit,
Tergoribusq; acres infrendens decutit hastas.
Stat Legio ipsius variis instructa manipulis,
Promta, parata neci, cujus fulgentia vallant
Terga, velut muro, sexcenti ex ordine currus,
Ne qua cohors illis retrò se attollere possit,
Sed perferre queant densa ut testudine casus.
Qualis Dictynnæ facies, falcataq; forma est,
Incrementa capit quum prima nitentibus astris:
Sic Manus apparet curvato Turcica flexu.
In medio sex mille viri prælustribus armis
Audaces in equis resident: duo millia claudunt
Hinc peditum cornu dextrum, totidemq; sinistrum.
Pars capita arrectis præfigunt martia in hastis,

Pars

Pars sclopeta manu tollunt, lethumq; minantur.
Prætores belli medio stant agmine primi,
Mustafa Szechenius, Filecensisq; Magister
Curcutius, Furia hos Albanus prominet inter.
Dum sic mentem armis aptant, pugnaq; parant se,
Spemq; secant variam Turcæ, fatalia nostri
Contingunt spacia accessu, volat ante Catervam
Impiger Hommonius, sociosq; hortatur & orat,
Hostica ne moles formidine corda fatiget.
Nec jam segnities vecors incepta moratur:
Auspiciis acies divini Numinis ante
Conspectum hostilem, Superis famulantibus ipsis,
Fit citò, fit subitò: virtus coit omnis in unum
Pannonicorū Equitum, quos dextro à limine stipāt
Principiò albentes Turmæ, atrataq;: sinistro
Puniceo insignes habitu, croceoq; decoræ.
Paullum interualli superest: exinde pedestris
Stat Manus Hunnorum, connixa hastilibus altis
Lævam contra Alam Turcarum: at milite juncto
Retrorsum, quasi post carecta, Ragozius hæret,
Multa movens animo, verum spe plenus honesta.
Hei mihi quantum acies inter discrimen utraq;!
Agmen enim Mahometigenum Luci instar opaci!

Quē Notus hīnc atq; hīnc necquicquā flatib. urget,
Eminus apparet: contra vix silvula quædam,
Prælia ventorum quā tempestate coortā
Huc illuc agitant, atq; imā è stirpe revellunt,
Christigenum globus est: at sicut fertilis arbor
Rariùs in florem silvis sese induit altis,
Sæpius & posito surgit de semine foetus
Nobilior, virgulta inter, dumosq; silentes:
Plurima barbaries sic hostis in agmine vasto est:
At parvo elucent coetu clarissima Martis
Lumina, magnanimi heroes, & robora Pubis
Lectæ, duæ egregiæ Gentes, Germania quarum
Vna tuo jactat se nomine, Pannonis Ora
Vna tuo: Hæc longo patriam defendere bello
Assueta, & patiens operum, contentaq; parvo est,
Gens sumtis non tarda hastis, quam justus in hostē
Fert dolor; Illa vetus priscā virtute tuetur
Militiæ decus, & nomen, Gens fortis, & audax,
Præsidium Martis, veterum Flos, ipsa virorum
Virtus, debilitat quam non matura senectus.

Iamq; utrinq; cohors campo consistit aperto,
Directæq; acies, tellus micat ære corusco,
Prælia nec dum ineunt, sunt alta silentia, quisq;

Eventu

Eventus belli varios sub corde volutat.
Hic celer Hommonius rumpit de pectore vocem:
State viri fortes: hac nocte potentia Christi,
Hac Germanorum virtus, hac nocte piorum
Pannoidum paucis his appar-bit in armis
Fatali Turcæ exitio: nec enim nova res est,
Magna manu parvâ strata agmina Numinis almi
Auxiliis. igitur vel nunc rapiemus ovantes
Cum laude, ô Socii, devicto ex hoste Tropæa,
Aut immortalis fundemus honore per auras
Felices animas, Patriæ pro arisq; focisq;
Hæc pia stat mecum cujus sententia menti,
Me me ille aspiciat, me me ille sequatur euntem.
Sic ait, ac hostem contra sese arduus infert,
Principium pugnæ: rauco tum Buccina cantu
Dat belli signum, sequitur mavortia Pubes,
Et sæpe inclamans Iesu venerabile nomen
Aggreditur Turcas: contra clamoribus illi
Barbaricis (Hala, Hala) onerant cælū omne, Deumq;
In sua vota suum vocitant, pariterq; resistunt
Marte fero, ac primū, ceu murus aheneus, intra
Stant strictas immoti acies, tentare quod antè
Consuerant nunquam, fugiens Sol conditur undis

Interea, & primæ crescentes duplicat umbras
Noctis: adest Fax una nimis preciosa, ruina
Dum patitur Domus alma DEI, Sixæaq; flammis
Mœnia collucent latè: dehinc aspera surgit
Pugna: Manus mittit Germana volatile plumbum
Certatim in Turcas, & equis primo impete multos
Excutit: Vngarici Pedites á limite dextro
Cornu hostile petunt Peditū, & mox Marte secundo
Profligant Alam, volat illa exterrita retrò.
Actutum in nostros Equites albosq; nigrosq;
Horrifico exonerat quatuor Brontæa boatu
Hostis, & exiguum dat (Diis sit gratia) stragem.
Nec mora jam ceptis: nostri vehementius instant,
Imparibus si quæ fors viribus adjuvet ausum.
Turpem hîc nemo fugam viso vix hoste capefsit,
Nuper ut, at præstat motos componere fluctus.
Quisq; hîc infestum summâ vi fertur in hostem,
Pannoniciq; memor, Germani & nominis audet
Omnia, nil metuit. celerem Covachius hastam
Matthias unî Becorum in pectore condit
Adverso, primam ante aciem cadit ille, trucemq;
Evomit inter equos animam, mittitq; sub Orcum.
Tum mage fervet opus, tum magnam parva viâ vis
Quærit,

Quærit, & ambigui tentantur Prælia Martis.
Tela globiq; volant, cælum tonat omne fragore,
Quadrupedumq; gravi sonitu tremit excita tellus,
Hastæ acres strident, crepitant incudibus enses,
Atq; omne imbuitur diverso sanguine bellum.
Anceps pugna diu, donec statione relictâ
Irrumpunt, turbantq; globū magna agmina parvū.
Ceu quando exoritur tempestas horrida cælo,
Fulminaq; & pluvias commisto grandine terris
Immittens, in agros sævit, Cererisq; decorem
Frumenta in viridi stipulâ lactentia sternit.
Fit via vi, miscetq; hosti sese hostis, & unus
Alterius vocem, belli quæ tessera, fingit,
Res quoties poscit, queat ut sibi longius ævi
Vfuram fervare dolo. nam copia vitæ
Dulce bonum. ac veluti fit præda frequentibus unū
Sæpe Feris animal, nemora inter egentia lucis:
Parva cohors Christi numero non secius amplo
Obruitur: demum facies miseranda laborum.
Hommonius præceps (is enim se primus agebat)
Cum Sociis captus media inter millia vinclis
Frenatur, cadit ante aciem Pethæus honestâ
Insignis facie Iuvenis, spesq; optima Martis.

Parte

Parte aliá duro titubans Reibnizius ictu
Corruit, Hefeliusq; audax, Dammerus & ingens
Robore, cum signo succumbit Naghius ipso,
Fratre necem subeunte parem, Brauchitschius uná
Volvitur, incumbens vexillo, nobile Fratrum
Par aliud campo vitam profundit eodem,
Gente Poserorum de nobiliore creatum.
Hic etiam Zecus ruit, hic Pernezius, hic &
Togachius, multiq; alii. pars cætera dextrum
Ad latus in vineta volat, sicq; effugit hostem.
Sed quibus ad pagum fugientibus area præcep
Vadacum breve monstrat iter, via nulla salutis
His patet: occumbunt omnes stricto ense sequentū.
Sternitur infelix Soldos, Polschnizius, & Bez,
Tundit humū expirans animā Reibnicus, Olympū
Cernuus hei oculis morientibus aspicit altum
Nimptschius, undanti dispergit in arva cruore
Marquardus robur vitale: immergitur amni
Sanguineo Ganscus, Quinto, & VValdavius, inter
Ramschius hos, & VVáida jacēt, Tarnocus adheret,
Atq; duo Fratres Trombitæ, aliiq; potentes
Marte Viri, quorum comprehendere nomina metro
Non labor est nullus. verum ut præsentia cladis,
Haud

Haud timor invitas hic degener alligat alas:
Sic hostis sine strage sui per vulnera mortem
Oppetit haud unus: bis quinque cadavera semper
Turcarum apparent circa unum nobile corpus
Teutonis aut Hunni: facies miseranda jacentum!
Hic caestu, ille gravi prostratus acinace tendit
Brachia, transactus liquefacto tempora plumbo
Vnus humum, aliter alter fixus Mucrone cruentat.
Atque ea diverso per agros dum Marte geruntur,
Magna tonant iterum cornu Tormenta sinistro,
Nec nostros, praeter pedites tres, fulmine quassant
Sulphureo: id postquam bibit aure Ragozius acer
Nunc nunc tempus (ait) cursu contendere in hostem
Ante, oneret rursus cava quam Brontea, periculis
Nostri haerent mediis, sua nec Germana juvenus
Infarcire potest iterum sclopeta. quid ultra
Stamus? adeste viri fortes, timor absit & horror,
Fidite ne pedibus, vos id per pristina facta
Obtestor vestra, & patriae per amabile nomen,
Per vos, per socios, per fusas saepe phalanges,
Spemque meam, & magni per Numina Caesaris oro:
Non Deus adversum nos pugnat, ab hoste caduco
Vrgemur, sunt & nobis animaeque manusque,
D Corpora.

Corpora nec Turcis ferrò constructa rigenti.
Ibimus ergo viri, fatisq; faventibus hostem
Per medium rumpemus iter, quàm densior urget.
Stat sua cuiq; dies: hodie committere mens est
Turpe nihil. dixit, lævámq; irrumpit ad alam,
Fulmineumq; rotat, sociis comitantibus, enssem.
Mox tormentorum custodes impete primo
Sternit humi, Tormenta rapit, quaq; imminet ingēs
Parte globus, sævos hinc atq; hinc cominus hostes
Proturbat, sociúmq; animos incendit eorum,
Qui primùm ingressi fuerant versatile bellum,
Et se sublustri corám esse fatetur in umbrá:
Protinus illi animos audito nomine tollunt.

Interea ejusdem sejunctus ab agmine jussu
Editiore loco puer inflat classica, more
Teutonico, id Turcæ capientes auribus, hærent,
Et Germanorum nova credunt agmina gressum
Accelerare, stupent: ó formidabile nomen
Teutonicum huic genti! pestem ó sclopeta manusq;
Atratorum Equitum! mentem ergo remittit atrocē
Paulatim rabiosa Manus: verum ecce ministrat
Successum fortuna novum. Nam consita Baccho
In juga qui pedibus sibi dextra per arva salutem

Quæ-

Quæsierant, Palmæ spes & quos liquerat omnis,
Percepto clangore novo nova corda resumunt,
Et nova succedunt iterum in certamina cursu
Post currus factò, jamq; opportuna Ragozî
Cum sociis jungunt læti consortia belli.
Hic Deus armipotens nostris viresq; animumq;
Sufficit, & stimulos in pectore condit acutos,
Immittitq; metum Turcis, atrumq; timorem.
Nempe acies superesse novas, quas civerat antè
Buccina longa, putant, & feruere cæde recenti.
Continuò raptat fatis adductus amicis
Totam aciem in timidos sudante Ragozius ore.
Exoritur strictis seges ensibus, æra refulgent
Igne lacepsita hostili, pulsæq; frequenti
Dant sonitum flictu galeæ cava tempora circum.
Turcarum insequitur spumanti sanguine strages,
Vt semel intepuit Mucro. Dux ergo furore
Percitus Albanus sese ad divortia ponit,
Quem subito scelerata cohors sequitur pede denso,
Ductu docta fugam proprii celerare Magistri.
Hinc mox Christicolæ cursu glomerantur eodem,
Et fatiare manum, & contendere longius ardent.
Exitus ex Voto fluit :atro sanguine Turcùm

Dum proprios sternunt pedites fugiendo, sequentū
Tinguntur cultri, pars sese in vincula subdit.
At miser Hommonius vinclis exsolvitur udīs,
Et redit ad socios: nihil illo triste recepto.
Pars Sajo in fluvium saltu sese omnibus armis
Præcipitat, capit ille suo cum gurgite mersos,
Adq; lacus stygios ablutos cæde revolvit.
At plures, quibus una animi spes fidere nocti
Pampineos inter colles, arbuſtaq; furto
Obyia Ruricolæ sternunt, sicq; ora resolvunt:
Horrida nunc ubi vox: veteres migrate coloni:
Et iam cum spoliis ingenti cæde peracta
Victores focii, lætum Pæana canentes,
Ad cineres redeunt Sixæos, arvaq; Marti
Debita, & undantes humano sanguine campos:
Prædam ubi diripiunt hilares, onerataq; victu
Plauſtra, & procurant gestis benè corpora rebus,
Atq; ita postremam ducunt per gaudia noctem
Hæc ubi decedit, phæbæa & lampade terras
Lustrat inaccessis Aurora invec̃ta Quadrigis,
Pro tanta Superis bonitate Ragozius Heros
Persolvens grates ad ovantia tecta penatum
Dulce resumit iter, prædamq; advectat opimam

Qua-

Quadringentorum capitum jam luce carentum,
Mustafa fax quorum, ceu nigri Cerberus Orci.
A tergo incendit raptorum ex hoste fugato
Ordo ducentorum, discedentemq; sequuntur
Centū alii Hommonium, qui paulò evaserat antè
Militiæ hos casses. ter deni, iterumq; ter arcem
Sendroviam deni ascendunt: capita insuper istuc
Centum humeris avulsa, novis cum plausibus, effert
Victrix turba: dein bis mille cadavera campi
Partibus exquirunt varijs quingentaq; fortes
Agricolæ: hæc præter mille & sexcenta per agros,
Quàm procul extendit sese violentia ferri,
Corpora sparsa jacent, quorum denso agmine misti
Penè quadringenti luvenes, ex ordine nostro,
Egregii formâ, sed quæis arcana negârat,
In patriam reditum tristis sententia fati.
Hi mandantur humo, justis ex more peractis,
Ast in sublimem fera comportantur acervum
Corpora Turcarum, septo cinguntur & alto,
Vt sint hospitibus longum & memorabile cunctis
Spectaculum, & maneant etiam sua fercula Corvos.

Audin' quæ tenui deducam carmina venâ,
Quæ tibi signa canâ, Cæsar, lætosq; triumphos?

Non injussa cano. Deus hæc mihi protulit ipse.
Atq; tibi memoranda dedit, Laurosq; virentes
Addidit, æterni victricia signa decoris.
Laurum quippe novam Victoria tanta meretur.
Væ væ autem, verulte tibi Dux, faxq; malorum,
Quisquis es, ex ipso quanquam tu nomine Christi
Nomen habes, Turcæ qui clandestina dedisti
Consilia, ut pacem (si verum fama susurrat)
Rumperet, Austriacos & debilitaret honores.
Non hoc constabit molimine gloria regni
Vana tui: semper furiosis excidit ausis
Bella movens Superis. at tu fortissime Cæsar
Mentem agnosce Dei, quæ te complectitur: an non
Gloria Majorum fuit & vis summa tuorum?
Annuit ast illis tantum Victoria Martem
Nulla, tibi quantum nuper, si mente revolvās
Pugnantum inter se numerum, si cætera. quisnam
Patre, Rodulphe, tuo sapientiùs omnia gessit?
Ottomannigenis melior fortuna Tyrannis
Attamen arrisit, quàm nunc te Cæsare? non jam
Bellorum ingentes evolvam versibus oras,
(Inceptum differtur opus) paucissima prodam
Fortunæ documenta tuæ, vix alter ab anno

Ingre-

Ingreditur decimò, fera quùm post prælia Turcas
Mense locoq; eadem fors funere merfit eodem.
Auguriũ ô magnũ, memorabile, dulce, profundum!
Fata viam stravere tuis conatibus altam.
Illa tibi insignes aliquos peperere triumphos
Hactenus: & quisquam mirabitur amplius, imo
Austriacam ingentem Turcarum odia aspera cordi
Insita? mordet adhuc clades illa inclita, mordet
Degeneres animos, quam fortiter æquore Turcis
Ante decem messes, septemq; ille intulit Heros
Austriacá IANUS deductus origine Princeps,
Vnà luce prius, quàm nunc: sed mense sub isto.
Ergo Spes armet te, magne Rodulphe: favebunt
Fata tibi porrò, ut series Otomannica, quæ jam
Vergit ad interitum (si quid Mahometica veri
Scita tenent) Dux magne tuis tandem occidat armis.
O Domus Austriadum felix, si bestia limen
Concidat ante tuum! Vos ô prænuncia signa
Attrahite Eventus, atq; illa remittite in auras
Vota repugnantum, qui fata extrema minantur
Austriacis rerum Dominis. quin æmula Palmæ
Exfurgat magis atq; magis tua gloria Cæsar.
Vivat iô tua Gens, nomenq; decusq; tuorum,
Vivat

Vivat iô, quîsquis cupit omnia summa virenti
Austriadum Lauro, quæ vertice tangit olympum.

Outinam, ô liceat plures memorare triumphos
Dive tuos Cæsar posthac! hæc unica vcti est
Summa mei. haud poterit, fatis auctoribus, unquã
Aspirare tibi fortunæ gratia major,
Quantam animo, quantã balbo tibi cõprecor ore,
Diis genite, & geniture DEOS, fortissime Cæsar.

INFATVM DOMVS AVSTRIACAE.

EDiderat tales nuper fortuna loquelas:
Quis non imperio pareat in orbe meo?
Austriacã Gens est quæ gente potentior usquam?
Attamen hæc juris cogitur esse mei.
Noxiamox patitur nostri ludibria regni,
Mox per honoratas tollitur illa vices.
Audiit hoc Fatum per aprici nubila cæli,
Et, tribuis nostrum cur tibi Numen? ait:
Nec tibi, nec cuiquã Domus Austria pareat in orbe,
Imperio tantum subiacet illa meo.
Nil sine me patitur, nil per te triste, sed audi:
Supprimo, quos tollo, quos premo, tollo viros.

Josephus Rorengatter Vlinensis.

DE



